

De Gula.

Ieiunium exultationis. ne, voluntate libera, ex intuitu Spiritus sancti, c. post pascha di. 76. Vnde dicitur, ieiunium exultationis.

Quatuor tempora quare instituta sunt ieiunari. Item in quatuor temporibus anni. Cano. Statuimus, dist. 76. in quibus Deus exigit decimam pro qualibet quarta parte anni, sicut enim annus per quatuor voluit tempora, sic & nos quaternum solemne agamus ieiunium, per quatuor anni tempora; de quibus dicitur hic versus.

Vult Crux, Lucia, Cinis, & Charismatada. Ut ieiunetur, quarta sequens feria. Id est, ut ieiunetur quarta, sexta feria, & sabbatho immediate sequentibus festum. S. Crucis, de Mense Septembris, S. Lucia, Diem Cineris, & Pentecostes. Et nota, quod antiquitus pro sabbatho ieiunabatur secunda feria, quæ mutata fuit.

Dubium in vigilia Pentecostes an sit ieiunandum.

Sed dubium est, de quatuor temporibus infra octauam Pentecostes, & eius vigilia, an ex præcepto, an ex concilio ad ea teneamur, propter rationem iam dictam? respondet Gratianus, quod huiusmodi ieiunia, cum sint exultationis, ut dixi, sunt potius de consilio, quam de præcepto, quod affirmat. D. Tho. quo supra, artic. 5. ad tertium argumentum, mouentur isti auctoritate Leonis Papæ, in quodam sermone, & habetur c. Igitur dist. 76. vbi sic dicitur. Igitur post sanctæ lætitiæ dies, quos in honorem Domini a morte resurgentis, ac deinde ascendentis exigimus, postquam accepimus Sancti spiritus donum salubriter, & necessarie consuetudo est ordinata ieiunij, ut si quis forte inter ipsa festiuitatis gaudia negligens libertas, & licentia immoderata præsumpserit, hoc religiosæ abstinentiæ censura castiget. Sed contra hanc opinionem arguitur ex. §. Necessario. eadem dist. vbi fertur post diem pentecostes ex necessitate esse ieiunandum, & de hoc non est dubium, quin esset mortale in dicta hebdomada non ieiunare, esto namque, quod non esset præceptum, consuetudo tamen, quæ tollit, & ponit leges, vinculum cum sit in antiqua obseruantia, & homines communiter non minus ista, quam alia quatuor tempora obligatoria esse iudicent, sufficit ad mortaliter delinquendum, quia mos populi, mos Dei, ut distin. 11. Sed dubium remanet de vigilia Pentecostes, hoc namque non videtur ita clarum, & quod ad hanc etiam teneamur ex præcepto, ex ait c. Nolle, eandem distin. ut vult Glo. ibi: huic sententiæ subscripsit Siluester, & Caietanus, locis citatis.

76
Hora ieiunij.

De secundo, scilicet hora sumendi cibi, ieiuniorum tempore, in iure non reperitur expressum: verum in Quadragesima, post vespertarum officium perfolutum, sumendus est cibus, ait Can. Solet, de consecrat. dist. prima: est tamen persistendum, in communi Ecclesiæ consuetudine, quæ, ut ait D. Tho. loco citato artic. 7. erit hora meridiei, id est post nonam. Nam cum ieiunium sit quid penale, & consuetudo ordinaria, sumendi cibi, sit hora sexta, ut ieiunans quidquam afflictionis sentiat pro culpæ satisfactione, æquum fuerat, horam comedendi, ad horam nonam esse differendam. Hinc est, quod qui hora tertia comedere solent, ad horam sextam differre debent, & comedentes hora nona (ut Principes) debent prorogare amplius horam ieiunij, ut caro affligatur, ea est enim Ecclesiæ intentio: verum huiusmodi tempora largo modo sunt interpretanda, & non est permanendum in indiuisibili puncto, potest tamen paulisper præferri, & postponi, dummodo sine ieiunij fraude fiat, ut dicitur. Non est autem sumendus cibus summo mane, quando tali hora, comedendo, communi iudicio, non appareat hominem ieiunare: & sine dubio, secundum communem doctorum opinionem ieiunium esset fractum, & ex consequenti, peccatum mortale, ut etiam Naua. cap. 21. num. 27. licet Summa Angelica dicat veniale, sed in hoc non tenetur ab alijs, nisi in casu secundum Augult. quando ieiunium esset voluntarium, ob deuotionem, &